CAPITULA SIUE CONSTITUTIONES ECCLESIASTICAE PER...

Church of England



ab Episcopo cuius Diocœsanus existit, attulerit, & vicesimum quartum ætatis suæ annū iam compleuerit, ac etiam in altera dictarum Academiarum gradum aliquem scholasticū susceperit: Vel saltem nisi rationem fidei suæ iuxta Articulos illos Religionis in Synodo Episcoporum & Cleri approbatos Latino sermone reddere possit, adeò vt sacrarum literarum testimonia, quibus eorundem articulorum veritas innititur, recitare etiam valeat: Ac vlteriùs, de vita sua laudabili, & morum integritate literas testimoniales sub Sigillo vel alicuius Collegij Cantabrigiensis aut Oxoniensis, vbi antea moram fecerit, vel alicuius Iusticiarij ad pacem Dominæ Reginæ conseruandam assignati, vnà cum subscriptione & testimonio aliorum proborum & fide dignorum hominum eiusdem parœciæ, vbi per tres annos ante proximè elapsos commoratus est, exhibeat. Vtq; hi sacri ordines diebus tantummodo Dominicis, ac festiuis, idq; publicè ac tempestiuè in ecclesia vbi Episcopus moram traxerit, conferantur: Prouiso semper, vt vtriusque Academiæ Collegiorum Socij, qui suorum Collegiorum statutis ad sacros ordines intra certum tempus suscipiendos tenentur, hoc decreto (quantum ad ætatem attinet) non obligentur. Quod si verò aliquis Episcopus aliquem ad sacros ordines admiserit, qui prædictis qualitatibus non sit præditus, is per Archiepiscopum, assidente sibi hac in parte vno alio Episcopo, ab ordinatione Ministrorum & Diaconorum per integrum biennium suspendatur, ac

eam

eam prętereà pœnam incurrat, quæ de Iure in eiuſmodi Epiſcopos qui ad ordines Eccleſiaſticos ſine titulo aliquem promouebunt, ſtatuitur.

Adhæc, ne quis Epiſcopus aliquem in beneficium (vti vocant) inſtituat, niſi qui prædictis conditionibus ornatus fuerit.

Si verò Curia de Archubus aut Audientiæ per viam duplicis querelę, ſeu alio quouis modo contra Epiſcopum hac in parte agat, quia homines minimè idoneos ac habiles admittere renuit: tunc licebit Archiepiſcopo, vel authoritate propria vel gratia ſpeciali a regia Maieſtate impetrata, eiuſmodi proceſſus amputare, quò laudabilis Epiſcopi induſtria debitum ea ratione ſortiatur effectum.

Denique, vt quolibet anno ad feſtum Sancti Michaelis Archangeli, vel intra ſex hebdomadas idem feſtum ſubſequentes, vnuſquiſque Epiſcopus numerũ, nomina, gradus & qualitates eorum omnium, quos in ſacros ordines, vel in aliqua Beneficia eodem anno præcedente promouerit, ad Archiepiſcopum tranſmittat.

De Beneficiorum pluralitate cohibenda.

QVòd nemini in poſterum facultas ſiue indulgentia concedetur de pluribus beneficijs ſimul retinendis, niſi huiuſmodi tantùm, qui pro eruditione ſua & maximè digni, & ad officium ſuum pleniùs præſtandum maximè habiles & idonei cenſebuntur: Nimirum, vt is qui huiuſmodi facul-

tate fruiturus est, sit ad minimum artium magister, & publicus ac idoneus verbi diuini Concionator: Ita tamen vt idonea etiam cautione obstrictus teneatur, de personali sua residentia in singulis Beneficijs per bonam anni cuiusque partem facienda, & quòd eiusmodi Beneficia triginta milliarium spatio ad summum non distent abinuicem. Deniq; quod idoneum Curatum habeat, qui plebem eius Parœciæ in qua non residebit, instituat ac informet, modò facultates eiusdem Beneficij talem commodè sustinere posse Archiepiscopo, vel eius Diocœseos Episcopo videbuntur.

Vt Beneficiati in suis Beneficijs Curatis hospitalitatem exerceant.

QVoniam ecclesiarum Cathedralium Canonici siue Præbendarij ecclesiastica beneficia curata alibi sæpiùs possident, & tamen prætendentes se ratione Præbendarum suarum a residentia in Curatis Beneficijs liberos & immunes, ad Cathedrales conuolant, ibiq; moram faciunt longiorem: Vnde nec curæ parochianorum illis commissæ satis prospicitur, nec pauperes domi suæ (sicuti difficultas huius temporis exigit) aluntur atque sustentantur: Idcirco nos huic malo prouidere desiderantes, decernendũ censemus, vt omnes & singuli Canonici siue Præbendarij qui beneficia curata vnũ siue duo obtinẽt (nec Residentiarij necessarij in suis ecclesijs Cathedralibus existũt) vltra tempus quo in Cathedralibus

dralibus residere tenentur, a Beneficijs suis Curatis prætextu præbendarum se non absentent: Et si aliqui eorum, qui ad necessariam residentiam in Ecclesijs Cathedralibus non tenentur, vltra tempus vnius mensis aliquo anno, in Ecclesia illa Cathedrali moram traxerint, eos arctari volumus ad familiam in Beneficio suo Curato (non obstante mora in Cathedrali) alendam, & Hospitalitatem exercendam, toto reliquo tempore quo a Curato absfuerint. Quod autem ad eos attinet, qui ad residentiam in ecclesijs Cathedralibus faciendam, per ordinationes illius Ecclesiæ obligantur, & communis diuidentiæ participes sunt, eos ita inter se anni tēpora partiri volumus quoad residentiam in Cathedralibus habendam, vt eorum aliqui in Ecclesijs illis semper adsint, & personaliter resideant. Ac quò hæc omnia melius peragantur, Episcopi, vel alij ad quos per ecclesiæ statuta vel ordinationes pertinet, in suis respectiuè Ecclesijs diligenter prouidebunt.

Vt Decani & Canonici in Ecclesijs Cathedralibus suis vicibus conciones habeant.

CVm Beneficium propter Officium conferri debeat, æquum existimamus, vt ecclesiarum Cathedralium Decani & Canonici omnes & singuli, qui in sacris ordinibus sunt constituti, & ad Conciones habendas in Ecclesijs suis Cathedralibus, de Iure, Statutis, Ordinationibus, aut laudabili

B consuetudine

conſuetudine illius Eccleſiæ tenentur, in perſonis ſuis proprijs eas præſtent, nec vicaria in ea re opera vtantur, niſi ex cauſa ægritudinis, aut alia legitima impediti, Concanonicum ſuum, vel alium in Theologia eruditum ac ad concionandum authoritate ſufficienti approbatum ſua vice ſubſtituant. Quòd ſi qui huiuſmodi Decani aut Canonici officium ea in re neglexerint, per Epiſcopum vel eos ad quos iuriſdictio pertinet, quoad ſe debitè correxerint, ſuſpendantur.

De moderandis indulgentijs pro celebratione matrimonij abſq; trina bannorum denunciatione.

QVandoquidem honeſtæ, claræ, ac illuſtris conditionis homines, ſiue vrgente aliqua neceſſitate, ſiue alijs non contemnendis rationibus, matrimonium aliquando celebrandi cauſas habere poſſunt, facultate ſibi de Bannis matrimonialibus aut non omninò, aut ſemel iterúmue denunciandis indulta, ſine aliquo graui ſcandalo ſeu detrimento: Idcircò ad euitanda generaliter quæ hac in parte notantur incommoda, viſum eſt caueri ne vllæ facultates ſiue Indulgentiæ de celebrando abſque bannis matrimonio concedantur, niſi idonea cautio priùs ſub hiſce conditionibus ineatur: nimirùm, primò quòd nullum poſteà conſtabit impedimentum præcontractus, conſanguinitatis, affinitatis, vel vllius alterius legitimæ cauſæ cuiuſcunq; ratione.

Secundò, quòd eo tempore quo eiuſmodi facul-

tas siue indulgentia concedetur, nulla controuersia, lis seu querela mota est, vel dependet coram aliquo Iudice ecclesiastico aut ciuili, de eiusdemodi legitimo impedimento matrimonij inter huiusmodi personas contrahendi aut contracti: Ac tertiò, quòd ad nuptiarum solemnizationem non accedent, nisi assensu & expresso consensu parentum siue tutorum priùs impetrato: Et vlteriùs quòd matrimonij celebratio publicè ac tempestiuè in facie ecclesiæ fiet. Cuius quidem cautionis formula seu exemplar in scriptis concipietur, ac vnicuique Episcopo in sua cuiusque Diocœsi imitanda proponetur. 3

Prætereà adijciendum putamus, ne cuiquam liceat Episcopalem dignitatem non obtinenti (Commissario ad facultates, ac Vicarijs generalibus Archiepiscopi & Episcoporum, sede plena: & sede vacante Custodibus Spiritualitatis ac Ordinarijs, Episcopalem iurisdictionem de Iure exercentibus, in suis iurisdictionibus respectiuè exceptis) licentiam celebrandi matrimonia sine bannis concedere: Ea verò duntaxat per se, ac sub manuum suarum suscriptione, non per Deputatos aut Surrogatos suos, nec alijs quam suæ iurisdictioni subditis concedatur. Nulli autem cuiuscunque sexus, dignitatis aut ordinis (in parentum seu gubernatorum cura & regimine existenti) concedatur, nisi priùs constiterit de expresso consensu parentum vel gubernatorum suorum (si fortè parentes excesserint e vita) idque parentum significatione, aut guberna-

torum Iudici perſonaliter facta : vel Chirographis ipſorum, quibus fidem habendam eſſe non putamus, niſi per nuncios honeſtæ conditionis & famę illeſæ mittantur, qui fidem faciant ſe de parentum aut gubernatorum manu Chirographa huiuſmodi recepiſſe veris nominibus ac cognominibus per huiuſmodi nuncios deſignandorum : Cuius Chirographi exhibitionis, ac Iuramenti per nuncium præſtiti actum conſcribi volumus. Nec verò alijs concedantur huiuſmodi indulgentię, quam illuſtris & clarę conditionis hominibus, niſi vrgens neceſſitas interceſſerit, eaque Iudici cognita fuerit.

Præterea in ipſo diſpenſationis ſiue Licentiæ tenore, Eccleſia habitationis ſiue commorationis alterius contrahentium, vel parentum & gubernatorum ſuorum exprimatur, & tempus diei etiam congruum, nempe inter horas octauam & duodecimam ante meridiem aſſignetur.

Nec ſine indulgentia a competente Iudice conceſſa, Miniſter aliquis matrimonium celebret, niſi trina bannorum denunciatione (per legitima interualla) interueniente, ſub pœna conſtitutionibus Prouinciablibus præſcripta.

Prouiſo ſemper, quòd quicunque contra hanc ordinatiouem deliquerit, ab executione officij per ſuperiorem per ſex integros menſes ſuſpendetur: & licentia huiuſmodi viribus carebit, & pro nulla quoad pœnam perſonis clandeſtinas nuptias celebrantibus imponendam habebitur.

De

ET quia matrimoniales causæ, inter maiores hucusque semper habitæ fuerunt: Idcircò cum de matrimonijs in Iudicijs disceptatur, cautiùs agi oportet, præsertim verò cum matrimonium in Ecclesia solemnizatum, prætextu aliquo separari, vel nullum pronunciari postuletur, æquum igitur visum est.

Primùm vt in huiusmodi diuortiorum & nullitatis matrimonij processibus, deliberatè procedatur, ac quantum fieri poterit, rei veritas, testium depositionibus, aliisq; probationibus legitimis eruatur, nec partium confessioni (quæ in hijs causis sæpè fallax est) temeré confidatur.

Tum vt nullæ posthac sententię vel separationis a thoro & mensa, vel nullitatis matrimonij ferantur, nisi publicè, ac pro tribunali, & de scientia & consensu vel Archiepiscopi, infra Prouinciam suam, vel Episcopi infra propriam diocœsim, Decani de Arcubus, Iudicis Audientiæ Cantuariensis, aut Vicariorum generalium, aliorumue Officialium principalium, vel sede vacante Custodum spiritualitatis, aut aliorum Ordinariorum, quibus de Iure competit in suis respectiuè Iurisdictionibus ac Curijs, atq; inter suæ iurisdictionis subditos tantùm, Deinde vt in Sententijs quando ad separationem Thori & mensæ tantùm interponuntur, monitio & prohibitio fiat, vt a partibus ab inuicem segregatis castè viuatur, nec ad alias nuptias alterutra viuente con-

 uoletur:

uoletur.: Denique, quò poſtremum illud firmiùs obſeruetur, ſententia ſeparationis non anteà pronunciabitur, quàm qui eam poſtulauerint, cautionem fideiuſſoriam ſufficientem interpoſuerint, ſe contra monitionem & prohibitionem nihil commiſſuros.

Iudex autem qui ſententiam ſeparationis ſeu diuortij tulerit, & præmiſſa omnia non præſtiterit, per tres integros menſes ab executione Officij ſui per Diocœſanum ſuum ſuſpendetur: Et ſententia ſeparationis contra formam prædictam lata, pro nulla ad omnem Iuris effectum habebitur, ac ſi omnino lata non fuiſſet.

De exceſsibus circa excommunicationem reformandis.

QVia Excommunicationis vſus in eccleſia perpetuę legis vigorem iam obtinuit, atq; in omni iuriſdictione eccleſiaſtica exercenda hucuſq; retinetur, ideò abſq; grandi mutatione totius eiuſce iuriſdictionis & plurimarum huius regni legum innouari vel alterari nequit: Nihilominus vt Excommunicatio (quæ authoritatis ac diſciplinę eccleſiaſticæ quaſi neruus quidam, ac vinculum habenda eſt) ad priſtinum ſuum vſum, decus & dignitatem reducatur: Cautum eſt vt quotieſcunq; cenſura iſta in immediatam pœnam cuiuſuis notoriè hęreſeos, ſchiſmatis, ſymoniæ, periurij, vſuræ, inceſtus, adulterij, ſeu grauioris alicuius criminis venerit infligenda, ſententia ipſa vel per Archiepiſcopum, Epiſcopum,

pum, Decanum, Archidiaconum vel Præbendarium (modò ſacris ordinibus & eccleſiaſtica iuriſdictione præditus fuerit) in propria perſona pronunciabitur, vna cum eiuſmodi frequentia & aſſiſtentia quæ ad maiorem rei authoritatem conciliandam conducere videbitur.

Denique quod vnuſquiſque Vicarius generalis, Officialis, ſeu Cōmiſſarius, qui ordines eccleſiaſticos non ſuſceperit, eruditū aliquem præsbyterum ſibi accerſet & aſſociabit, qui ſufficienti authoritate vel ab ipſo Epiſcopo in iuriſdictione ſua, vel ab Archidiacono (presbytero exiſtente) in iuriſdictione ſua munitus, idq; ex præſcripto ipſius Iudicis tunc præſentis excommunicationis ſententiam pro contumacia denunciabit.

Volumus etiam, vt ſicut conſtitutum eſt, eiuſmodi excommunicationem per Miniſtrum eccleſia denunciari, ita ipſe Iudex de abſolutione ipſius rei poſt ſatisfactionem ſuam peractam, eundem Miniſtrum certiorem faciet, qui eandem abſolutionem populo publicè denunciabit: ac interìm quod benè licebit, dicto miniſtro reum a ſacris arcere & repellere, tanquam in Eccleſiam minimè recipiendum, donec eiuſmodi certificatorium ab ipſo Iudice exhibuerit.

De Recuſantibus, & alijs excommunicatis publicè denunciandis.

CVrent Ordinarij locorum, vt tam excommunicati ex eo quod diuinis præcibus infra hoc reg-

num Angliæ publica authoritate stabilitis interesse pertinaciter recusauerint, quàm ij etiam qui propter aliam quamcunque causam legitimam excommunicationis sententia innodati fuerint, nisi infra tres continuos menses post latam excommunicationis sententiam se emedauerint, & absolutionis beneficium obtinuerint, singulis sex mensibus sequentibus, in ecclesia cum parochiali, tum etiam Cathedrali Diocœsis in qua habitant, pro excommunicatis publicè denuncientur. Teneantur etiam Ordinarij prędicti de pręmissis omnibus & singulis quolibet anno infra Festa Sancti Michaelis & Natalis Dòmini, Archiepiscopum huius Prouinciæ in scriptis certiorem facere.

De moderanda solennis pœnitentiæ commutatione.

NE qua fiat posthac solennis pœnitentiæ cōmutatio, nisi rarioribus grauioribúsque de causis, atque adeo cum ipsi Episcopo constiterit, eam esse ad reum reconciliandum & reformandum saniorem & tutiorem rationem.

Deinde quod mulcta illa pecuniaria vel releuamen pauperum eiusdem parœciæ, vel in alios pios vsus erogetur, idque ecclesiæ solenniter & fideliter approbetur, & innotescat.

Quod si verò crimen fuerit notorium, ac publicum, Reus ipse vel in propria sua persona publicè in Ecclesia pœnitentiam suam minimè fictam pro-

fitendo,

tedo, loci ecclesiæ satisfaciet, vel ecclesię minister in præsentia ipsius rei, palam e suggestu eius submissionem, & pœnitentiæ suæ coram Ordinario suo peractionem, atque etiam in veræ suæ resipiscentiæ Testimonium, quantam pecuniarum summam in vsus supradictos erogandam reddiderit, denunciabit.

Quicunq; verò absq; Episcopi Diocœsani notitia pœnitentiam commutauerit, aut pecuniam ratione commutationis huiusmodi solutam in alios vsus quam supra est expressum conuerterit, vel aliter præsentem hanc constitutionem violauerit: Is ab executione Officij sui per eundem Diocœsanum per tres integros menses suspendetur.

De feodis quæ Officiarijs ecclesiasticis & eorum ministris debentur.

CAutum insuper volumus, quòd neq; alia, neq; maiora feoda ab Episcopo, Ordinario, Archidiacono, vel eorum ministris deinceps vlla de causa percipiantur, quàm ea, quæ ineunte hoc regnum regia nunc Maiestate percipi solebant: Quodque tabula quædam singulorum huiusmodi feodorum summas continens, in quolibet Consistorio ante Festum Sancti Iohannis Baptistæ proximè venturum figatur, cuius exemplar manu ipsius Ordinarij subsignatum intra tempus prædictum ad Archiepiscopum transmittetur.

Iam verò quia dubium esse potest, quænam certa

feoda pro singulis negotijs expediendis, in singulis respectiuè foris ecclesiasticis quadraginta abhinc annis percipiebantur, nisi quæ vsus frequentior succedentibus ab eo tempore annis monstrauerit, atq; approbauerit : Ideò decernendum putamus vt citra vltimum diem mensis Maij proximè sequentem, Episcopus quilibet, vel sede aliqua Episcopali vacante, Custos spiritualitatis ibidem curet, tabulam manu Ius dicentis eiusque registrarij subscriptam publicè figi, vel in loco quolibet vbi Ius ab illo dicetur, vel aliâs publicè in eiusdem iurisdictionis Archiuo, ita vt quiuis eiusdem tabulæ inspiciendæ facultatem habeat : Quæ quidem tabula in se continebit separatas summas singulorum feodorum, quæ tam a Iudice, quàm a singulis alijs Officiarijs ac ministris eiusdem Curiæ frequentiùs ac vsitatiùs ab initio regni dictæ Serenissimæ Reginæ vsque ad decimum octauum Maiestatis suæ annum percipi consueuerunt : Curabit prætereà quilibet Episcopus, vel sede vacante Custos spiritualitatis, vt quilibet Iudex huiusmodi citra vltimùm diem præfati mensis Maij Episcopo suo, vel Custodi spiritualitatis fidele & auctenticum exemplar tabulæ feodorum præmissorum in Archiuis Episcopi custodiendum tradat : Qui verò contra fecerit, is ab executione officij sui per Ordinarium suum immediatè superiorem eò vsque suspendetur, donec præmissa modo & forma superiùs specificatis perfecerit.

Quorum omnium exemplarium, singuli Episcopi Prouinciæ Cantuariensis vel Custodes spiritualitatis,

tatis, fidele & auctenticum Instrumentum in pergameno conscriptum, ad Archiepiscopum citra vltimum diem mensis Octobris proximè futurum transmittent.

Pœna verò cuiusque Officiarij, ac Ministri maiora feoda quàm quę in huiusmodi tabulis respectiuè exprimentur percipientis, suspensio erit per sex menses ab executione officij sui per Ordinarium suum infligenda, vel Ordinario negligente aut id facere omittente, per Archiepiscopum, qui alium delinquentis loco interìm deputabit.

Prouiso semper, quòd si alicubi dubium fuerit quæ feoda vsq; ad prædictum decimum octauum regiæ Maiestatis annum vsitatissimè percepta fuerint: Tùm ea fœda pro legitimis habebuntur quæ per Archiepiscopum Cantuariensem sub manus suæ subscriptione approbabuntur: nisi statuta huius regni Angliæ iam anteà ædita, alia in quocunq; casu feoda expresè præstituerint.

Prouiso insuper, quòd neq; Archiepiscopo neq; Episcopo, vel directè, vel indirectè aliquã pecuniarum summam pro admittendis ad sacros ordines hominibus accipere licebit, idque sub pœna Iuris.

De excessibus Apparitorum reformandis.

PRæterea quoniam excessibus & grauaminibus quæ per Apparitores inferri dicuntur, remedium cupimus adhibere opportunũ, videtur vt Apparitorum multitudo, quantum fieri poterit, re-

ſtringatur; Non igitur licebit Epiſcopis vel Archidiaconis, eorumue Vicarijs ſeu Officialibus, alijſq; inferioribus Ordinarijs deputare & habere plures Apparitores, iuriſdictionibus ſuis reſpectiuè inſeruientes, quam ante viginti annos præteritos, vel ipſi vel prædeceſſores ſui habere conſueuerunt, qui omnes per ſe ſuum fideliter exequantur officium, Nec per nuncios aut ſubſtitutos quocunq; quæſito colore, ſua vice mandatorum executiones demandent, aut permittant, niſi ex cauſa ab ordinario illius loci priùs cognita & approbata: Tum vt promotorum Officij, vel denunciatorum perſonas omninò non ſuſtineant, feoda ampliora vel maiora, quàm quæ hijs conſtitutionibus, ſuperiùs ſtatuuntur, non exigant.

Quòd ſi plures quam ſuperiùs eſt expreſſum deputati, vel illorum aliqui præmiſſa violauerint, deputantes ſi Epiſcopi exiſtant, moniti per ſuperiorem ſupernumerarios dimittant. Inferiores verò Epiſcopis Ordinarij, ab executione Officij ſuſpendantur, donec huiuſmodi deputatos amouerint, deputati autem ipſi ab Apparitorum Officio moueanter perpetuò: Et ſi amoti non deſiſtant, tanquã contumaces Canonicis cenſuris coerceantur.

Prætereà in cauſis Officij & correctionis ne quæ fiant Citationes generales (quæ vulgò *Quorum nomina* dicuntur) niſi partes citandæ veris nominibus expreſſis per regiſtrarium in ipſa ſchedula citationi annexa, & ſigillo munita ſcribantur: eademq; ſchedula ius dicentis manu ſubſcribatur,

ſub

ſub pœna coertionis eccleſiaſticæ per Diocœſanum delinquenti infligenda.

De Regiſtris in Eccleſijs ſaluæ Cuſtodiæ committendis.

ET quia Regiſtras in eccleſijs (quorum permagnus vſus eſt) fideliter volumus cuſtodiri: Primùm ſtatuendum putamus, vt in ſingulis viſitationibus admoneantur miniſtri, & œconomi eccleſiarum de Iniunctionibus regijs ea in re diligentiùs obſeruandis.

Deinde vt libri ad hunc vſum deſtinati, quò tutiùs reſeruari & ad poſteritatis memoriam propagari poſſint, ex pergameno ſumptibus parochianorum in poſterum conficiantur: Iiſque non modò ex veteribus libris cartaceis tranſumpta nomina eorum, qui regnante ſereniſſima Domina noſtra *Elizabetha*, aut baptiſmatis aqua abluti, aut matrimonio copulati, aut eccleſiaſticæ ſepulturæ Beneficio affecti ſint, ſuo ordine ſumptibus parochianorum inſcribantur: Sed eorum etiam, qui in poſterum baptizati, vel matrimonio coniuncti aut ſepulti fuerint.

Ac ne quid vel dolo commiſſum, vel omiſſum negligenter redarguatur, Quæ per ſingulas hebdomadas in hiſce libris inſcripta nomina fuerint, ea ſingulis diebus Dominicis poſt preces matutinas aut veſpertinas finitas, apertè ac diſtinctè per miniſtrum legantur, die ac menſe quibus ſingula geſta

ſunt ſigillatim adiectis.

Poſtquam autem paginam aliquam integram multorum nominum inſcriptio compleuerit, tum miniſtri, tum Gardianorum ipſius parochiæ ſubſcriptionibus volumus eam communiri.

Idemque in tranſumptis ex veteribus libris cartaceis, paginis ſingulis fieri, ſed diligenti, ac fideli priùs habita collatione: neque verò in vniuscuiuſquam cuſtodia librum illum, ſed in Ciſta publica, eaque trifariam obſerata reſeruandum putamus, ita vt neque ſine miniſtro Gardiani, nec ſine vtriſque gardianis miniſter quicquam poſſit innouare.

Poſtremùm eſt, vt exemplar quotannis cuiuſq; anni auctæ nominum inſcriptionis ad Epiſcopi Diocœſani regiſtrum per Gardianos infra menſem poſt Feſtum Paſchatis tranſmittatur, & ſine feodo vllo recipiatur, atq; in Archiuis Epiſcopi fideliter cuſtodiatur.

Quicunque verò in præmiſſis eorumue aliquo deliquerit, is vt delicti qualitas Iuſque poſtulauerit puniatur.

QVæ omnia Capitula ſiue Conſtitutiones, omniaque & ſingula in eiſdem contenta, Regia Maieſtas per ſuas Literas Patentes gerentes dat. apud Weſtmonaſterium decimo octauo die Ianuarij, anno regni ſui quadrageſimo, ratificauit, confirmauit ac ſtabiliuit, ipſaque ab omnibus regni ſui ſubditis vtriuſq; Prouinciæ, Cantuarienſis & Eboracenſis,

racensis, quatenus eorum aliquem concernunt, diligenter exequenda, ac obseruanda authoritate sua regia proposuit, promulgauit, & per easdem Literas Patentes sic per eos obseruari præcepit, iniunxit & mandauit, prout in eisdem literis Patentibus, Sigillo magno Angliæ sigillatis pleniùs liquet & apparet.

